



EXPERIENTISSIMIS


D. D.

SPECTATISSIMISQUE VIRIS,

COLLEGII MEDICI

BRUXELLENSIS,

ASSESSORIBUS.



*Am pridem, ab octodecim
scilicet annis, Pharmaceu-
ticum hoc Opus exeuſum,
è typis Vindobonæ auſpicatò
prodiit: Dignum, utique haud abſque
ratione, cenſum ſacrari CAROLO
SEXTO, GLORIOſÆ ET AUGUSTIſſIMÆ
MEMORIÆ, CÆSARI.*

* 2



Si Benignè & Gratosissimè , à POTEN-
TISSIMO TOTIUS INCLYTÆ GENTIS AUS-
TRIACÆ , ET ORBIS CORYPHÆO , OMNIBUS
VIRTUTIBUS ORNATO , *suscipi promeritum*
fuerit hoc , summâ industriâ elaboratum ,
artis specimen : Encomia nostra , qualia-
cumque esse queant , id satis efferre non
poterunt , neque usquam gentium , id fiet.

Hujus Operis itaque dignitas , ductos
suasu & hortatu quorundam Artis Apol-
lineæ peritorum , exolescente , in hisce po-
tissimum regionibus , hujus , exemplarium à
plurimis summè desideratorum , apparatu ,
nos movit id recudere & typis nostris subji-
cere : Spe illâ suffulti , laboris nostri haud pœni-
tendos fore , si illos in Arte (quàm spectat)
versatissimos , pro Patronis habere sata-
geremus , iisque , debita cum observantia ,
partum hunc redivivum , dedicaremus.

Quo-

Quocirca Officii Nostri esse duximus,
in hujus Nobilis Urbis Medicorum Colle-
gium Famigeratissimum, oculos conjicere,
nosque, hujus Tribunalis SPECTATISSIMIS
ASSESSORIBUS, sistere.

Ecquis etenim Censoriam Sententiam,
de rei hujus, in hac Patria, utilitate &
necessitate, magis ad amussim proferat,
quàm Vos SAGACISSIMI VIRI, qui in Il-
lstri ac Populosissima Urbe praxim Me-
dicam facientes, experimenta multifaria
penes Vos habetis, quæ non, ubique loco-
rum, obtinent?

Studiorum illa laudabilis æmulatio, quæ,
apud numerosos, in eadem Civitate, ejus-
dem Scientiæ & Artis cultores, vigere po-
tissimum solet; apud Vos, in hac Metro-
poli, maximoperè illucescit: Sic ut acriter
Studio Medico, in Vastissimo omnis hujus
Scientiæ

Scientiæ ambitu, operam navantes; Vos, VIROS CLARISSIMOS, vel in Arte, cum ratiocinio, feliciter experiundi & medendi, meritò constituat.

Quamobrem, Vos (CEU VERE IDONEOS JUDICES) hac in re Patronos eligimus & imploramus; ut Vestre Approbationis umbone, & Vestris nominibus insignitum hoc Famosum Opus; tantum in his regionibus illustrari queat, quantum per se promereri videtur.

Si tamen ad calcem Libri aliquam Appendicem, aliarum elegantium usualiumque, apud Vos, Compositionum, & Preparationum, neclere desideratis & imperatis; Vestrum Favori, nos, tantò magis obstrictos, profitebimur.

Nostra hæc conamina, qualiacumque sint, suscipere, Vestroque Patrocinio fovere, dignè-

dignemini : Favete quoque illis , qui pro
Vestra , omnium , VIRI SPECTATISSIMI ,
salute & incolumitate , ardentissima Vota
fundent & indefinenter , palamque erunt

Cultores Vestri Addictissimi
& Obsequiosissimi Famuli ,

CAROLUS & ANDREAS DE VOS ,
Pater & Filius , Bibliopole Bruxellenses .

APPRO.